



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Inue[n]tio corporis sa[n]cti Anachoretæ in mo[n]te Amano. Capvt. LXXXIX.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

templo sanctæ Euphemie. Clerici autem ipsius loci sepelierunt eum quasi peregrinum inter peregrinorum sepulchra. Sequenti verò die humauerunt & mulierem, & imposuerunt illam super eum. Erat autem hora secunda. Circa horam verò sextam¹ euomuit illam terra. Loci verò illius accolæ videntes quod factum fuerat, mirati sunt. Deinde rursus vespere sepelierunt ipsam in eodem tumulo, & sequenti die inuenerunt corpus supra sepulchrum. Accipientes ergò corpus, in alio monumento ipsum posuerunt. Post paucos autem dies, iterum sepelierunt aliam mulierem supra Abbatem Thomam, non cogitantes loci ipsius clerici, quia non permittit quempiam super se sepeliri. Et illam ergo rursus euomuit terra. Tunc agnouerunt, quia non permittit senex mulierem super se humari, abeuntesque nunciauerunt Patriarchæ Donino. Qui omnem simul ciuitatem cum cereis² ascendere fecit in Daphnem, & cum psalmodia sancti viri reliquias in urbem ferre. Deposuerunt autem sancti corpus in cœmeterio, vbi multa martyrum corpora condita sunt. Feceruntque supra ipsum breue oratorium.

¹ Non licet indignos cum sanctorum corporibus tumulari, propterea terra toties hanc euomuit.

² Ecce christianum sepeliendi morem, cū psalmodia, cū cereis, cū populi frequentia, apud sanctorū martyrum corpora, atque in cœmeterijs, contra id, quod faciunt moderni hæretici.

Inuentio corporis sancti Anachoretæ in monte Amanò.

CAPVT. LXXXIX.

NARRAVIT nobis quidam patrū, cū Theopoli essemus, quod ascenderit quadā die in montē Amanū cuiusdā necessitatis causa
 Bb inuenēris.

inueneritq; speluncam. Ingressus autem in illam, reperit Anachoretam genibus flexis, manibusq; in cœlum extensis, cuius crines capitis vsque in pauimentum extendebantur. Cùm autem putaret eum viuere, prostratus ante illum ait: Ora pro me, pater. Ipso verò nihil respondente, surgens prope illum accessit, vt saluaret eum, & amplexaretur; sed tenens ipsum, inuenit mortuum. Itaq; illo dimisso, exiuit. Et cùm paululum processisset, vidit aliam speluncam. Ingressusq; inuenit senem. Qui ait ad illum. Bene venisti, frater; ingressusne es aliam speluncam? Et respondens ait illi: Vtique pater. Rursum dixit ei: Num aliquid inde accepisti? Respondit: Nō. Et ille: Verè frater, quindecim anni iā elapsi sunt, ex quo consummatus est. Ita verò erat, ac si ante vnam horam obdormisset. Cùmque fecisset senex orationem pro ipso, recessit.

Mors Duorum Anachoretarum Montis

Phterigij.

C A P V T. X C.

DV O Anachoretæ erant supra Rosum in monte, qui dicitur Phterigius prope Ripen fluuium, & iuxta monasterium Abbatis Theodosij in Scopulo. Erat autem ex his alter senex, alter iunior, senisque discipulus. Cùm verò defunctus esset senex, facta oratione discipulus sepeliuit eum in monte. Post dies verò paucos descendens de monte Anachoretæ discipulus, venit iuxta loca habitabilia, inuenitq; hominem quendam exercentem terram, & ait illi: Fac charitatem, frater, accipe fossorium, & sarculum, & veni mecum. Rusticus verò continuo securus est eum. Cùmque venisset in montem, ostendit Anacho-